



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiæ Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XX. De Congregatione Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](#)

12. Literæ & Decreta hujus Congregationis, quæ magna diligentia assertantur in Archivio Apostolico, scribuntur & subscribuntur à Secretario, ac manu Sigilloque Cardinalis Præfecti corroborantur, sine quibus inscriptionibus & Sigillo expeditiones authenticæ non habentur, ideoque extra Curiam nil deferendum est attestationibus resolutionum, seu declarationum hac duplici subscriptione & Sigillo carentium. In Curia vero, cum facile veritas ex Registris, quæ in Archivio Apostolico assertantur, haberi possit, istæ solennitates subscriptionis non requiruntur. *De Luce disc. 16. Rel. Rom. Cur. n. 2.*

C A P U T X X .

De S. Congregatione Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ.

1. *Cur & à quo instituta sit.*
2. *Quod sit munus hujus Congregationis.*
3. *Qui constituant hanc Congregationem.*
4. *Ubi & quando habetur.*

s. Quo

5. Quo stylo procedatur in ea.
6. Cognoscit causas privative.

I.

CUM frequenter in diversis casibus exceptis delinquentes non gaudeant immunitate Ecclesiasticā, si perpetrato delicto ad eam tanquam Asylum confugiant, atque etiam ob diversitatem & commixtionem actionum, factique mutatam qualitatē, ac diversas singularem casuum circumstantias, dubia lèpendū numero, de quibus non facilè certum ferri potest, judicium, gravissimæ cum sacerdotalibus controversiæ ortæ sint, & hodie dum orientur, instituta est hæc Congregatio ab Urbano VIII. incertum an vivæ vocis oraculo, an per literas informam Brevis, an per Decretum Consistoriale; an demum per Constitutionem aliquam, quæ in Bullario non comprehendatur.

2. Munus ergo hujus Congregationis proprium ac præcipuum est, protegere ac defendere jurisdictionem, & Immunitatem Ecclesiasticam tam personalem, quam localem & realem, ne hæc violetur, aut illa usurpetur à Magistratibus

bus vel Comunitatibus sacerdotalibus, neve
à Gabellarum aliorumque onerum lo-
calium exactoribus gravetur. In his ve-
rò Juribus & Immunitatibus tuendis,
ut refert Cardinalis de Luca *disc. 17. Re-*
lat. Rom. Cur. & disc. 3. num. 1. Miscell. Eccles.
Peccatum est saepius in modo ex indi-
screto & aspero zelo quorumdā Officia-
lium, & eorum, qui sub principium huic
Congregationi præfuerunt. Ideoque pu-
tat in citato *disc. 3. melius,* & cum ma-
jori Immunitatis conservatione acemo-
lumento res eo pertinentes sine strepi-
tu per S. Congregationem Episcoporum,
& Regularium negotiis præpositam tra-
ctatas esse.

3. Constituunt hanc Congregationem
Cardinales & Prælati plerumque ex Ro-
tæ & Cameræ auditoribus eo numero,
qui determinatus fuerit à Pontifice;
Quatuor tamen ex iis videntur stabiles,
nimirum Secretarius, qui ut plurimum
est Referendarius aliquis utriusque si-
gnaturæ, unus ex Auditoribus Rotæ,
unus ex Clericis Cameræ & Advocatus
Fisci. Horum Prælatorum præcipuum
est officium instruere ac referre summa-
tim causas, prout faciunt in Curiâ qui
Ponentes dicuntur, cum negotiorum
ac

ac Processuum acta quæ ad hanc Congregationem spectant, magnis sœpe voluminibus ab ordinariis aliisque per Ordem dispersis Judicibus transmitti soleant.

4. Congregatio ista bis in Mense Feria tertia celebratur in Palatio Pontificio, nisi aliud negotia requirant. Præsidet illi Cardinalis aliquis, qui Præfectus Congregationis dicitur, & Sigillum asservat, percipitque quotannis ex Camera Apostolica mille Scuta. *Lunadoro.*

5. Cæterum omnia, ut in aliis Congregationibus, gratis hic expediuntur. Proceditur quoque in formâ extrajudiciali sine processibus; Sed scribuntur Epistolæ familiares ad Ordinarios, vel Nuntios Apostolicos, aliosve Prælatos Ecclesiasticos, quos negotium concernit pro informatione controversiæ capiendâ, & executione Decretorum ac resolutionum suarum facienda.

6. Cognoscit vero Congregatio hæc de causis Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticae privativè, Ideoque per eius Decreta à Summis Pontificibus comprobata, inhibitum est Metropolitanis ac Nuntiis, aliisque Judicibus appellacionis, vel recursuum ab Ordinariis locorum

neve
n lo-
is ve-
ndis,
7. Re-
Eccles.
indis-
ficia-
huic
epu-
i ma-
emo-
repi-
rum,
n tra-
onem.
Ro-
nero,
ice;
biles,
num
ie si-
otæ,
atus
uum
ma-
i qui
rum
ac

706 *De Congregatione Rituum.*

corum, ne inhibitiones concedant, vel
impedimenta præstent. *De Luca Relat, Rom,*
Disc. 17.

CAPUT XXI.

De Congregatione Rituum.

1. *A quo erecta; Est duplex.*
2. *Ordinaria & Extraordinaria. Ad primam qui veniant.*
3. 4. & 5. *Quid in illa tractetur.*
6. *Quæ contentiosa ad illam referantur.*
7. *Quomodo res in ea tractentur.*
8. *Ad extraordinariam qui veniant.*
9. *Quomodo res in ea tractentur.*
10. *Quæ præmittantur Canonizatione.*
11. *Decisiones hujus Congregationis nil probant nisi in authentica forma exhibeantur.*

¶.

Congregatio pro Sacris Ritibus, & Cæremoniis, cæterisque rebus ad Divinum cultum pertinentibns erecta fuit à Sixto V. *Constit. 74.* quæ incipit: *Immensa, videtur esse duplex, ut colligitur ex diversis membris, seu Prælatis,* qui